

tiffimum; quantumvis incertitudinem isthanc propter formidatam populi seditionem atque inobedientiam sibi persuasisset (4) petram iterato percutiendo, & quidem irato, impatiente perturbatoque animo quæ quidem omnia ex diffidentia & incredulitate fluxisse, restatur ὁ καρδιογνώσις, l. cit. Conf. Tremell. & Vinarienses. Et licet Aaron non percusserit; tamen sine ulla dubitatione binam percussione atq; adeo impatientiam fratris ex incredulitate profectam approbavit, societate pœnæ, quam Deus ei injunxit, societatem delicti & τὸ συνευδοκεῖν sive consensum arguente.

§. 13.

Quemadmodum ergo Lutherus noster in scholio marginali sensum ex hac lapsus Mosaici historia mysticum sic eruit, ut arbitretur, per eum duo fuisse præfigurata (α) *populum legis per Mo- sen Doctorem suum non posse salvari*: (β) *Judeos infideles tempore incarnationis Christi lapsuros esse*: Ita præter communissimum porisma, quod sanctissimi quique a peccatis non sint immunes, eorumque τὰ πλημμελήματα non ad imitationem, sed ad emendationem aliorum in verbo Dei sint consignata, illud, quod jam antehac insinuavimus, assertum de indubitata historia biblicæ, utpote in qua sancti non dissimulent, verum ingenue profiteantur suos nævos, αὐτοπισία ac certitudine deducimus. Sed & illud inde derivamus, quod Deus nonnunquam gravius animadver- sat in pios, quam impios, idque ideo, ut judicia ejus sint formidabiliora, & ut Petrinum istud sibi dictum putent profani homi- nes: Si justus vix fervatur; impius & peccator ubi appa- rebit? 1. ep. cap. IV, 18. Conf. B. D. Finck. Can. Theol.

Cent. I. p. 11. 12. & Cent. II I. p. 82. 83.



Coll. diss. A. 115, misc. 14